DISPUTATIO DE LEGE NATURÆ, PRINCIPIIS PRACTICIS ET CONCLUSIONIBUS INDE DEDUCTIS, SYLLOGISMO practico, Conscientia &c.

Cum quæstionibus annexis,

Quam

DEO DUCENTE ET DOCENTE

PRÆSIDE

M. HENRICO VELSTENIO,

Phil. moralis Profess. Publ. & p. t. Facultatis Philosophicæ Decano,

Publicè defendendam suscipiet

JOHANNES Stille *Rigâ-Livonus.*

Ad diem 9. Febr. in Collegij novi Auditorio magno, horis matutinis.

Martinus Chemnitius.

Utilis est hæc collatio Legis & Decalogi, ut discamus amare & magni facere sententias morales congruentes legi naturæ, ubicunque existant & legantur apud Poetas, Historicos, Philosophos, Legumlatores &c. Quia sunt Jus divinum, & Veritas DEI divinitus patefacta. &c.

VVITTEBERGÆ

Excudebat Johannes Gormannus 1610.

THESIS I.

DIscamus, *inquit* D. Hieronymus, in terris, quorum scientia nobiscum perseveret in cælis.

II. Ex hoc rerum genere est & lex Naturæ: *de quâ nunc συντόμως & specialiùs: prout est notitia principiorum practicorum; non verò principiorum contemplationis & actionis simùl: & quidem nec quoad Dei cognitionem & obedientiam legi Dei debitam, sed quoad modos civiles, unde oritur Philosophia Ethica, quæ explicatio legis naturæ ad bene beateq́, vivendum.*

III. Istiusmodi naturæ legem à Deo mentibus hominum insculptam esse, ostendit omnium sanorum hominum Conscientia, quæ testis & judex omnium factorum. Chemnit. part. *1.* L. C. p. 47.

IV. *Hanc legem* Cicero *vocat nunc* Jus naturæ, *propterea, quòd humanis mentibus naturaliter impressa sit: nunc* Jus gentium, *quia omnibus hominibus latè per orbem sparsis est eadem: nunc* Jus divinum, *eò quòd Deus legis hujus sit author: nunc* Jus æternum, *quòd ejus norma sit constans & perpetua. Unde &* Sophocles *leges naturæ vocat* ἄγραπτα καὶ ἀσφαλῆ θεῶν νόμιμα, *hoc est*, non scripta; firma tamen & solida Deorum legitima, ut quæ nemini unquam mortalium violare fas sit.

V. Aristoteles *hanc eandem vocat* δίκαιον ἔμψυχον, *ex quo omnis lex scripta vim suam mutuatur: interdum* λόγον: *interdum* νοῦν; *quas duas voces* Cicero *conjungens, ait:* Lex illa, quam Dij humano generi dederunt, est ratio mensq́;

 sapien-

ſapientis, videlic. radius quidam juſticiæ divinæ in mente lucens: Nicolaus Hemmingius de lege Naturæ.

VI. D. Apoſtolus *vocat* veritatem Dei *Rom. 1. v. 18. Patefactionem Dei v. 19.* jus Dei *v. 17.* Opus legis ſcriptum in cordibus in ipſa Creatione. *Rom. 2. v. 15.* Chemnitius parte 2. L. C. p. 262.

VII. Hanc magnus ille Germaniæ Magiſter Melanthon *ita deſcribit*: Lex naturalis eſt noticia certa principiorum practicorum & Concluſionum inde deductarum divinitùs nobis inſita, ut monſtret diſcrimen honeſtorum & turpium, & ſit vitæ rectrix.. *In Epitome Phil. Moral. pag. 13.*

VIII. In qua ἐπιγραφῇ notanda hæc quatuor 1. Author. 2. Nomen naturæ. 3. Quòd ſit notitia. 4. Finis.

IX. I. Author eſt ipſe DEUS, *qui eam mẽtibus humanis impreſſit*, quæ divina legis hujus origo duo nos admonebit. *I. Ut grati agnoſcamus hoc beneficium, quòd Deus non voluerit lucem legis totam exſtinctam per lapſum, ſed voluit reliquias quasdam ſupereſſe, ut poſſit eſſe conſociatio politica inter homines, in qua DEUS per vocem Evangelij colligat Eccleſiam.* Chemnit. par. 2. Loc. Com. pag. 262. *2. Quòd, ut quicquid juxta hanc legem rectè fit, rectè fiat: Ita omnis legis hujus violatio non ſolùm cum Natura, verùm etiam cum DEO ipſo pugnare videatur. Quare admodum rectè veteribus Philoſophis* θεομαχεῖν *dicuntur, quicunque legis hujus limites perversè transgrediuntur: unde &* θεόμαχοι, *qui lege hâc ſpreta, pro ſua vivunt libidine, dicti ſunt* Hemmingius l. d.

X II. Naturæ nomen Epitheti loco ponitur, quo 1. monſtratur legis hujus forma. *Nam cùm dicitur naturæ, ſignificatur alia eſſe quàm ſcripta, ut illa ordine prior, hæc poſterior ſit: illa fontis rationem; hæc rivulorum habeat: illa cauſa ſit hujus, hæc illius effectus exiſtat.* 2. Indicatur

catur vis quædam, quæ omni homini inest, *hoc est, communis intelligentia, quæ virtutes in honestis, & turpia in vitiis ponit*. Id. d. l.

XI. III. Dicitur notitia, eaq; certa. *Nam normæ legis naturæ, neq; sunt opiniones ambiguæ, neq; sententiæ* ἀνατάληπτοι, *quæ percipi non possunt: sed sunt firmæ rerum expetendarum & percipiendarum perceptiones, quas firmâ assensione* ἄνευ τῆς ἐποχῆς *Academicorum amplecti oportet*. Idem l. d.

XII. IV. Finis legis naturæ triplex est. *1.* DEI gloria. *2.* Externa disciplina, *quam vult DEUS ab omnibus hominibus etiam non renatis præstari*. *3.* Ut homines reddantur ἀναπολόγητοι Rom. 1. v. 20. *Natura enim dictat: DEUS est Creator. E. colendus*. Chemnit. parte 1. Loc. Theolog. pag. 5.

XIII. Cæterùm principia practica sunt, quæ per se nota, & apud omnes immota, in bono communi radicata & fundata, rationis interventu & adminiculo, conclusiones, veluti ramos ex se gignunt, quæ ad radicem illam & fundamentum communis boni reflectuntur & reducuntur. Tilenius in syntag. p. 290.

XIV. Hujusmodi sunt: *Honestè vivendum: turpe fugiendum: quod tibi non vis fieri; alteri ne feceris: Nemo lædendus: suum cuique tribuendum: Quicquid sine detrimento commodari potest, ut tribuatur cuique vel ignoto, ut sunt comiter monstrare viam, non prohibere aquâ profluente: Pati ignem ab igni capere: alterum ne læseris, alteri ut prosis, parentes honorandi: pacta servanda: veritas colenda, &c.*

XV. Suntq; duplicia, Incomplexa & Complexa.

XVI. Incomplexa: Ut bonum, honestum, justum, utile, expetendum, fugiendum, malum, turpe.

XVII. *Complexa: ut justa sunt expetenda: injusta sunt fugienda, honesta amanda.*

XVIII. Conclusiones communes sunt, quas naturalis ratio ex principiis conficit, seu, quæ ex principiis per ratiocinationem mentis existunt: itaque ex principiis suis demonstrantur, & vi principiorum suorum immutabilitatem obtinent.

XIX. Verbigratiâ, principia practica sunt: *1. Justitia colenda est, & nemo afficiendus est malo. 2. Deus est colendus. 3. Aequalitas servanda. 4. Vim vi repellere licet, &c.*

Conclusiones inde deductæ sunt *1. Ergo justitiæ procuranda adjumenta. Non furandum. Non occidendum. Non scortandum. Nihil, quo quisquam lædi possit, committendum. 2. Ergo Doctor avocans à cultu Dei, non est audiendus. 3. Ergo pœna debet delicto respondere, & justa malis hæc admisso pro crimine pœna est, ut, quæ fecerunt, eadem patiantur & ipsi. 4. Ergo si vita nostra in aliquas insidias, si in vim, si in tela latronum aut inimicorum incidat, omnis ratio honesta est, expediendæ salutis.* Cic. in orat. pro Milone.

XX. *Atque hæc etiam de principiis & conclusionibus inde deductis dicta sunto:* nunc de Intellectu practico & conscientia aliquid addendum.

XXI. Intellectus practicus est qui intelligit & ratiocinatur propter opus, ut agat & efficiat id, quod bonum esse intelligit.

XXII. Hujus duo sunt officia: Alterum à malis retrahere murmurando adversus ea: Alterum ad bona extimulare. *Quod posterius propter naturam peccati fomite infectam languidius ille exequitur.*

XXIII. Complectitur præterea sub se *συντήρησιν καὶ συνείδησιν*, quarum illa conservat noticias ingeneratas & mores gubernat; hæc verò facinorum conscientiam.

Hinc

XXIV. Hinc oritur syllogismus practicus, cujus talis structura est. *1. Ponitur* propositio *universalis, quam dictitant ipsa notitia nobiscũ innata.* 2. Assumptio & Conclusio *à conscientia, h.e. Intellectu applicante, antegressam noticiã ad singulare πρακτὸν: quo tandem motus animus vel ad boni persecutionem vel ad mali fugam fertur,* *E. g.* Saul *habet hanc συντήρησιν & majorem cordi insculptam:* Deus irascitur homicidis, homines innocentes interficientibus, eosque ad pœnas trahit certò certiùs. *Conscientia subjungit & concludit.* Atqui ego Saul interfeci. Ergo & Deus mihi irascetur, meque impunitum non dimittet.

XXV. Ita noticiæ nobiscum natæ sunt: *quod tibi non vis fieri alteri ne feceris: vel quod alteri feceris, ab alio exspecta.* Postea conscientia accusans hoc pacto assumit: *Tu alteri hoc fecisti.* Postea concludit. *Ergo ab alio hoc exspecta.*

XXVI. Conscientia igitur est generalis cognitionis principorum practicorum ad singularia, quæ sub actionem cadunt applicatio; sic appellata quasi cum alio scientia.

XXVII. Conscientia enim omnis scientiam præsupponit. Ubi ergo haec actu non est; nec illa erit. Ubi ista erronea est, & hac talis fuerit.

XXVIII. Quia autem illa principia practica & inde derivatæ conclusiones aliter atque aliter ad τὰ πρακτὰ accommodantur; varii quoque & discreti conscientiæ effectus sint.

XXIX. Vel enim applicantur ad ea quæ fecimus vel nõ fecimus: *&* sic testis est *mille testibus certior.* Sic liber est *unicuiq; in quo vel invitus res suas gestas consignat.* Sic mala est bestia, *quæ facit aliquem stare contra se ipsum. Et hinc οὐ ῥάδιον καὶ λανθάνειν κακὸν ὄντα, quippe occultum gestat sub pectore*

testem

testem? Et: quàm difficile crimen non prodere vultu? quare:
Turpe quid ausurus te sine teste time.

XXX. Vel ad ea quæ facienda sunt, vel ad ea. quæ benè & malè facta sunt.

XXXI. Si ad facienda: *Sic ligare dicitur, h. e, ita constringere circa aliquod πρακτὸν, ut in neutram partem possit ὁ πράττων licitè declinare. Sic contra conscientiam peccare dicimur. Sic secretam gannit aurem; Ne liceat facere, quod quis vitavit agendo.*

XXXI Hoc respectu vel recta vel non recta dicitur. Recta, *quæ noticias universales ad agenda rectè applicat.* Non recta, *quæ secus.*

XXIII. Eaque vel lata nimis, *qualis in illis, qui nimis laxè judicant, sibiq; permittunt plus, quàm recta ratio dictat.* Vel nimis stricta & angusta, *qui contra faciunt.*

XXXIIV. Utraque & laxa & stricta vel est perturbata vel perversa. *Illa est in eis, qui circa aliquam, propositionem Practicam hæsitant; hæc in illis, qui ἀδόκιμον νοῦν sensum reprobum habent.*

XXXIIV. Si ad ea, quæ bene vel malè facta sunt: κατηγορεῖν & ἀπολογεῖσθαι *accusare, recusare & removere, vel etiam excusare dicitur.*

XXXVI. Hac ratione vel bona est vel mala.

XXXVII. Bona vel absolutè vel secundùm quid.

XXXVIII. Absolutè bona, quæ nihil prorsus mali sibi conscia est, *qualis fuit in ἀναμαρτήτῳ illo Salvatore nostro. Talem homo, etiam justus, nemo habet,*

XXIX. Bona secundùm quid est in hominibus bonis & pijs jucundus & pacatus animi status, qui rectè facta comitatur, & consistit in tranquillitate mentis & lætitiâ cordis, licèt quandoque etiam culpâ nonnihil polluta sit,

Hæc

XL. Hæc juge convivium est, optima possessio δικαιοσύνης καὶ τῆς μέγιστ☉ καλλίστη ἀπολογία, *piorum gaudium, una rerum incommodarum consolatio. Unde* Bias *interrogatus, quanám res in vita metu careret? Respondit: Bona Conscientia. Et* Socrates *quærenti, quinam tranquillè viverent? respondit: illi, qui nullius absurditatis sibi sunt conscij. Et* Periander *interrogatus, quid in minimo esset maximum, oportunè respondit: Bona mens in corpore sano: Scilicet*

——— ——— hic murus ahenus esto
Nil conscire sibi nullâ pallescere culpâ.

Horat. l. 4. Epist. 3.

XLI. Mala est in illis
——— ——— Quos diri conscia facti
Mens habet attonitos & surdo verbere cædit
Occultum quatiente animum tortore flagellum.

XLII. Hæc continua quædam febris est, ejusq; dolor longè acrior, quàm ut verbis exprimi possit: acerbior, quàm ut tolerari queat: illisq; magis extorquentur & excarnificantur homines, quàm si vel torqueantur in tauro Phalaridis, vel in Nicreontis mortario contundantur. Atq; hæc animorũ tormenta si tollere volueris nihilo plus ages, quàm si metum cervis, venenum anguibus, timiditatem leporibus velis subtrahere.

XLIII. Et licèt hi homines, quibus hic vultur conscientiæ jecur immortale rodit, faciem quandoq; hilarem & lætam præ se ferant: interim non absimiles sunt statuis, quæ foris auro obductæ, intùs araneis & inaniis opplentur: Neq; absimiles pomis, quæ specie pulcherrimâ nascuntur ad mare mortuum; si verò aperiantur, fumum exhalant & in cinerem ac pulverem fatiscunt. Neq; enim fieri potest, ut is, qui in vitiis & deliciis versatus & jactatus fuerit, verè lætari possit: Malorum enim animus à seipso dissidet, secumq; discordat. 9. Eth. c. 4. *scilicet*

——— ——— Fataliter angor

Omne nefas ſequitur, nec habet mens conſcia pacem.

Atq. hæc de lege naturæ θεωρικῶς dixiſſe ſufficiat: nunc quæ fortè utilia & jucunda de hâc materia ſupereſſe videntur ζητήμασι quibusdam diſpiciemus.

Quæſtio I.

An homo ab initio fuerit à Deo creatus juſtus & ſanctus?

Timplero l. 3. Empſyph. c. 1. p. 591. *ſatis eſt quæſtionem hanc in utramq. partem ventilâſſe: Utra autem ſit verior, aliis; præſertim Theologis judicandum relinquit. Cæterùm cùm ad argumenta, quæ pro ſententia affirmante afferri poſſunt, ex aliis operosè reſpondeat, ſicq. ſimpliciores quaſi in ſuſpenſo relinquat, certè veritatem quæſtionis hujus non evolvere, ſed involvere, non aſtruere, ſed deſtruere, non illuſtrare, ſed obumbrare videtur.*

Pro negante ſententia rationes affert haſce: *I. Quia Creatio hominis nihil aliud eſt, quàm productio hominis, quatenus eſt homo. Iccirco per eam homo à Deo accepit bona naturalia, non verò moralia. 2. Quia homo à Deo accepit per creationem liberum arbitrium, per quod indifferens fuit ad utrumq. oppoſitum, ita ut potuerit, ſi voluiſſet, Deo vel obedire vel non obedire, & ſic fieri juſtus vel injuſtus. 3. Si homo ab initio fuiſſet creatus ſanctus & juſtus, ſine dubio obtemperâſſet legi divinæ, de non manducando fructu arboris vetitæ, neq. ita facile in peccatum prolapſus fuiſſet. Sed eventus contrarium teſtatur. Proinde homo ab initio à Deo fuit creatus neq. juſtus neq. injuſtus, ſed talis qui potuerit fieri ſanctus & juſtus, ſi modò liberum ſuum arbitriũ voluiſſet determinare, non ad malum, ſed ad bonũ. Idē docet è recentioribus* Photinianis, Fauſtus Socinus Senēſis in præl. Theol. 6. c. 3. Inter Scholaſticos etiam Doctores *diſſenſio eſt haut levis, quã ut Patres Tridentini indefinitam relinquerent, non dixerunt Adamum in ſanctitate & juſtitiâ conditum*

ditum, aut creatum aut factum, sed cōstitutum esse. VVittack. de peccato Originis l. 1. c. 6. pag. 30.

Pro affirmante nos ex eodem Timplero & orthodoxis Theologis nostris hasce apponimus rationes: quas ejus momenti & ponderis esse censemus, ut animum in hoc dubitationis pelago, non præfractè & pertinaciter fluctuantem facilè sistere queant. 1. Quia conditus fuit homo ad imaginem DEI Gen. 1. §. 7. Sap. 2. §. 29. *Ergo sicut DEUS est sanctus & justus; ita etiam homo talis ab eo fuit creatus. Quam in sententiam optimè* Augustinus; *Hic cùm videret*, inquit, *hominem ex limo terræ ad imaginem DEI factum pudicitiâ ornatum, temperantia compositum, charitate circumdatum, immortalitate vestitum, invidit statim insatiabilis homicida, eoq; nostros primos parentes illis donis ac tantis bonis exspoliavit, insuper & peremit.* (Excipis autem: Hominem ad imaginem Dei dici creatum vel formaliter seu habitualiter, *quatenus facultate naturali intelligendi, & liberè volendi à Deo fuit præditus*; vel finaliter, *quatenus imaginem Dei vitæ sanctimoniâ & justitiâ exprimere debebat?* Respondemus. *1. Liberum arbitrium non formaliter constitisse in naturali facultate intelligendi ac liberè volendi: sed fuisse summā concreatam perfectionem, nempe totius hominis, omniumq; in eo virium animæ & corporis integritatem atq; conformitatem, quâ congruebat cum Deo archetypo;* In intellectu *quidem sapientiam & lucem agnitionis Dei;* In voluntate *justitiam & cum lege ac voluntate Dei pulcherrimam Harmoniam;* In cæteris deniq; facultatibus, animæ, membrisq; corporis *rectitudinem, ad normam divinæ mentis rectissimè congruentem:* Hunnius Tom. 1. disp. Marpurg dis. 6. *2. Si fuit homo conditus ad Dei imaginem, ut eam justitiâ & sanctimoniâ exprimeret, utiq; justitia & sanctimonia eum jam tum præditum fuisse, tàm manifestum est, quàm manifestissimum.)*

 Quia

II. Quia homo factus est à Deo rectus seu integer, Eccle-cles.7.v. 30. *& ante lapsum vixit in statu innocentiæ* (Excipis iterū distinguendo inter bonitatem naturalē & moralem. *Respondemus & bonitatem istam moralem in statu integritatis primo homini tàm naturalem fuisse, quàm fuit ipsa natura & & forma substantialis per creationem accepta. Hic naturale,* inqui Goclenius quæst. Ethicâ 54. *Non opponitur morali: sed hæc distinguuntur tantùm ratione. Morale bonum est Adamo naturale, quia non cōparavit virtutem crebris actionibus.*)

III. Deniq; Apostolus Paulus Eph.4.§.24. expresse scribit, primum hominem juxta Deum conditum esse in justitia & sanctitate veritatis. *Hinc ita colligimus, 1.* Qui conditus in justitia & sanctitate veritatis, necessum est ut sit justus, sanctus, *Cui n. abstractum eidem & concretum tribuendū. Et omne dici requirit inesse.* Atqui Adamo in statu integritatis justitiam & sanctitatē scriptura attribuit. *E. 2. Si justitia & sanctitas in corrupta & lapsa natura sunt instaurandæ & renovandæ; consequitur novas integrasq; fuisse in stante & integra natura atq; ex primogenea imagine, ut solent accidentia, ex substantiis suis confestim emicuisse.*

Ad rationes pro contraria opinione allatas respondemus: & quidem ad primam: 1 Per inversionem: *Si creatio fuit productio hominis quà hominis: utiq; etiam per eam & justitiam & sanctitatem accepit, quippe quæ ad hominis, quà hominis, integritatem, tùm omnino pertinebat. 2. Ipsa DEI imago, ut reliqua bona moralia, justitia, sanctitas &c. primo homini planè naturalis fuit.*

Quoad alteram *1. Negamus hunc finem fuisse liberi arbitrij, ut per illud vel obediendo demùm justus, vel non obediendo injustus fieret: sed potiùs ut homo, qui justus jam erat (quippe in sanctitate & justitia jam tùm cōditus) vel in bono perseverare per obediētiam, vel transgressione mandati se ab illo avertere posset.* Ecclesiast. 15. Hunnius in tract. de lib. arbitrio &

statu

statu hominis ante lapsum. 2. *Neq; in sensu alternato propria liberi arbitrij actio est, vel eligere vel aversari bonum: vel eligere vel fugere malum: sed bonum semper eligere & malum odisse propriè ad liberi arbitrij conditionem pertinet*, Dn. D. Hutterus in explic. Form. Concord. pag. 141.

Ad tertiam rationem dicimus, 1. *Non hominem tantùm in justitia, & sanctitate, secundùm Deum conditum: sed simùl etiam in libertate arbitrij, positum fuisse, ut vel in bono perseverare per obedientiam vel transgressione mandati, se ab illo avertere posset.*

2. *Eâdem sequela inferri posse, ne quidem ad imaginem Dei hominem conditum fuisse. Ecquis autem tàm perfrictæ frontis, ut contra tàm expressa scripturæ testimonia illud inficias ire posit, aut velit? Quin ergo ex hisce primum hominem in justitia & sanctitate conditum fuisse, hic jam conclusum & determinatum esto.*

Quæstio II.

An notitiæ istæ practicæ sequantur hominis naturam præcisè in sese sine imaginis divinæ respectu consideratam: an verò sint imaginis illius superstites scintillulæ?

Ita se res habet: *Forma dat esse rei: est* λόγος τῆς οὐσίας. Arist. 1. Phys. c. 7. text. 69. & 2. Phys. c. 3. t. 29. *& solis reliquiis natura rei definiri non potest. V. G. Monstratis Babylonis & Jerosolymæ ruderibus & ruinis, non apparent ipsæ civitates, quæ olim fuerunt splendidissimæ.*

Ergo si ἀκριβῶς cum Spiritu S. loqui velimus, dicendum est, Imaginem Dei peccato primi hominis penitus amissam esse. D. David Rungius in disp. de imagine Dei, th. 67.

Interim si de principiis naturâ notis agitur, qualis ea in homine *ex sententia Apostoli Rom. 2. v. 15.* reliqua

reliqua sunt, agitur, asseverimus cum Orthodoxis nostris Theologis eas esse imaginis Dei aliquam particulam, tanquam præstantissimi ædificij quasi rudera quædam. Idem l. d. *Sacra enim Scriptura disertè affirmat primos homines post lapsum agnovisse vocem Dei, timuisse, quòd nudi essent, abscondisse se à facie Iehovæ, nec non meminisse dictorum & factorum Dei & de discrimine honesti & turpis orationem meditatos fuisse. Proinde huc referendam esse censemus istam* Origenis sententiã in 26. c. Gen. Hom. 14. *Filius Dei pictor est hujus imaginis: & quia talis ac tantus pictor est, ejus imago obscurari per incuriam potest, deleri per malitiam non potest: Manet enim semper imago Dei in te, licèt tu tibi ipsi superinducas imaginem terreni.* Et rectè Osiander in cap. 17. Actorum Apostolic. *Etsi, inquit, humanum genus per peccatum depravatum est: tamen quia adhuc habet rationem, memoriam, Intellectum, voluntatem & quia dominatur alijs creaturis, profectò particula aliqua adhuc reliqua est de imagine Dei: quâ homo omnibus alijs creaturis præstat ita ut quandam (sic dicendo) cognationem cum DEO habeamus.*

Addo præterea & hoc: *Hominem duntaxat quadrupliciter considerandum esse, nempe. 1. In statu integritatis ante lapsum. 2. In statu peccati post lapsum. 3. In statu restaurationis per Christum. 4. In statu post mortem.* Hunnius de libero arbitrio. *Ergo homo quâ homo, hoc est, in puris suis naturalibus considerari non potest, quoniam nunquam talis extitit, nec etiam unquam talis existet.* Dissentiunt Romanenses nostri, qui sex status hominis comminiscuntur, ut videre est apud Pererium l. 5. in Genesin disp. 3. de excellent. hominis.

Quæst.

An ergo Adam & Eva generando propagârint in posteros similes noticias, quæ etiamnum vigeant?

Respondet Petrus Martyr, in volumine tractat. Theolog. l. 1. de lege DEI p. 174. reliquias prioris DEI imaginis non à Deo propagatas, sed à Deo pro sua bonitate restitutas, & denuo insitas esse nostris mentibus, Rationem affert hanc: *Si essent reliquiæ illius imaginis per Adamum propagatæ, aut malæ essent, aut ad substantiam naturāq; hominis pertinerent. Ab Adamo enim non accepimus, nisi & quæ ad constituendum hominem sunt necessaria, & mala, id est, peccata & miserias. Atqui neque ipsa lex naturæ mala est, sed optima res. Probat enim, quæ bona sunt, & mala improbat, consentanea est cum lege Dei scriptâ. Neque etiam ad substantiam naturamq; hominis pertinet. Nam etiam sine hâc lege Naturæ homo non desineret esse homo. Sic iste.*

Alij statuunt; innasci quidem nobiscum facultatem & habilitatem ad comparandam cognitionem principiorum; non autem ipsam cognitionem, quæ demùm per sensus & deductionem Dianoeticam acquiruntur. *Quo nomine* Fridericus Beurhusius in Log. Rami c. 3. l. 2. *Animus*, inquit, *noticias rerū necessarias & universales, non informatas à natura ipsâ capit; sed colligit facultate intelligentiæ naturali & ingeneratâ: ut oculus colorum species ex utero matris non attulit; sed facultatem naturalem omnia colorata cernendi: Ita generalium & necessariò universalium noticiarum non ἕξις, habitus; sed δύναμις facultas animis nostris naturalis est.*

Denique

Denique Orthodoxi nostri Theologi non δύναμιν duntaxat: sed & ipsam ἕξιν harum noticiarum nobiscum nasci pronunciant: adeoque noticias hasce non in secunda; sed prima specie qualitatis locandas esse volunt. Rationes apponunt. *I. Adam genuit filium Setbum ad imaginem & similitudinem suam. Atqui Adamus retinuit aliquas divinæ imaginis reliquias habitualiter sibi inscriptas, nec aliunde acquisitas, ut constat è quæstione antegressa. Ergo etiam dubium est nullum, quin Adamus similes noticias, quas ipse post lapsum retinuit, simòl etiam in posteros propagârit.*

II. Quale fuit totum, talis etiam est pars de toto residua, si præsertim sit homogenea. Atqui tota imago DEI non erat δύναμις mera, sed habituale & connaturale donum. VVittakerus de peccato Originis. l 1. c, p. 31. *Ergo pars de imagine residua habitualis & connaturalis quædam qualitas. Fuit enim imago Dei totum non heterogeneum; sed homogeneum.*

III. De hâc ingenitâ noticia loquitur Apostolus Roman. 2. cap. v. 14. *Cùm gentes, quæ legem non habent, naturâ quæ legis sunt faciant, ipsæ legem non habentes, sibiipsis sunt lex, ut qui ostendant opus legis scriptum esse in cordibus suis, simul attestante eorum conscientiâ & cogitationibus mutuò sese accusantibus aut etiam excusantibus. His verbis vult evincere Apostolus omnes homines esse transgressores legis Dei, neque eximi illos, quibus lex Dei voce vel scripto non sit tradita, cùm legem non habentes sibiipsis sint lex &c. ut sint in judicio Dei ἀναπολόγητοι. Iam si discentes tantùm intellexeris, reliquos ab annis disciplinæ remotos, è numero peccatorum excludi manifestum est. Hoc cùm principalem statum Apostoli pervertat, interpretationem arguit perversam: Ideoq; non tantùm de illa legis noticia agit, quæ ratiocinando comparetur vel discatur, sed de tali, quæ omnibus omnium ætatum hominibus*

nibus communis sit. Plura vide apud magnum istum Chemnitium parte 1. Loc. Com. Theol. c. 1. q. 3. Et apud Hunnium & Rungium in caput 1. & 2. Epist. ad Rom. Et Schröderum in opusc. de Theol. principijs l. 2.

Ad rationem Martyris respondemus, multa & egregia corporis atque animi bona ab Adamo nos accepisse, quæ egregia Dei dona. *Accepimus ab eo naturalem vim loquendi, inveniendi, disponendi & judicandi, sive in simplicium notionum compositione, sive in discursu rationis syllogistico aut methodico, facultatem numerandi, mensurandi, considerandi & contemplandi totum hoc universum, ejusq; pulchritudinem, ordinem, varios usus, cælestium corporum motus, &c. At tantùm absit, ut hæc in malis ponamus, ut etiam in peccatoribus & quolibet homine malo hæc tanquam insignia Dei dona agnoscamus & admiremur.* Johann. VVinckelmannus in disput. de carne & Spiritu. *Et proinde non infimum divinæ benignitatis argumentum est, quòd etiam post lapsum istiusmodi noticias in hominum animis superstites esse voluerit, quæ licèt ad res spirituales & æternam salutem nostram concernentes parùm faciant; ad res tamen civiles & practicas plurimum momenti conferunt.* Ex thesi 9.

Quæstio IV.

Quare leges Naturæ certas & immutabiles esse oporteat?

Legum naturalium immotam certitudinem sæpiùs evicimus: nunc certitudinis hujus & immutabilitatis causas inquiremus. Prima sit hæc: *Quia ipse naturæ auctor Deus opt. max. leges naturæ ceu vestigia æternæ suæ legis nostris mentibus impressit. E. quàm non mutabilis est illa lex in men-*

 te Dei

te Dei æterna: tàm etiam lex naturæ est immutabilis, adeò ut nec abrogatione tolli, derogatione minui, dispensatione quispiam obligatione ejus eximi possit. Quo nomine magnus ille Melanthon *gravissimè: Non solùm,* inquit, *ut lumen in oculis manet idem, donec natura hominis manet incolumis: ita noticia naturalis manet eadem in mente; sed major adhuc ejus est firmitas, quia est radius congruens cum normâ mentis divinæ æterna & immota, quam Deus nequaquam vult immutari.*

II. Rerum principia firma esse debent & immota. *Quod enim mutabile est, contingens est, & proinde principium esse non potest. Ergò & leges naturæ cùm norma sint, minimè λοξὰ sint oportet, sed μέτρον ἀδιάψευστον πάσης προσθέσεως καὶ ἀφαιρέσεως μηδαμῶς ἐπιδεχόμενον.*

III. Sicut in motu rerum naturalium omnis motus oritur à primo aliquo movente immobili: & in discursu rationes theoreticæ cognitionis dependent à quodam principio absolutè primo & immediato, in cujus evidentia mens contemplantis acquiescit: Ita omninò par est, ut & practicum nostrum judicium κριτηρίοις nitatur ἀναμφισβητήτοις.

IV. Denique veritas legum naturalium ex contradicentium collatione & contrariorum affectuum comparatione planissimè deprehendi potest. Si enim falsa est hæc; *Honesta non sunt expetenda:* Vera erit ejus ἀντιφατική; *honesta sunt expetenda. Si insuper honesta & justa naturam conservant, & inhonesta & injusta eam destruunt:* sequitur *honesta secundùm naturam esse inhonesta contra naturam. Vt igitur illa naturâ duce sunt expetenda; ita hæc ejusdem ductu sunt repudianda.*

Quæ-

An igitur leges & jura naturalia ſimpliciter ſint immutabilia?

Quæſtionem hanc in exercitationibus noſtris Ethicis ſat fuſè pertractavimus: hîc ſtrictim eam tangemus.

I. Naturalia jura, licèt per ſe quidem & quoad genus univerſum ſint immutabilia: tamen ratione ſingularium circumſtātiarū poſſunt admittere aliquid mutationis. *V. g. Jus naturæ jubet parentibus eſſe obtemperandum; & id ſemper verum eſt: nec unquam mutatur: in ſingulari tamen caſu poteſt aliquid mutationis admittere: Veluti ſi parens jubeat filium agnitam veritatem abnegare; patriam prodere. In his enim non tenetur filius patri obedire, & tamen non mutatur jus illud naturæ, parentibus eſſe obtemperandum.*

II. De Apoſtaſia à jure naturæ tenendum. 1. Quòd ſit pauculorum: *Ita enim ea, quæ etiam totius ſpeciei ſunt, non rarò quibusdam in ſingularibus deficiunt, ut videndi, audiendi, loquendi, generandi facultas.* 2. Quòd ſit eorum, qui ſunt ſceleratiſſimi & proximi naturæ beluarum. 3. Quòd ſint gradus principiorum practicorum & concluſionum inde deductarum: & quod mutatio iſta accidat non in principiis communibus, ſed in concluſionibus indè deductis, quæ ad ſpecialia deſcendunt & varijs implicantur circumſtantijs. *Quemadmodum enim in Phyſicis gradus ſunt, & corriguntur inferiores à ſuperioribus,* V. g. *regulare eſt aquam fluere deorſum; ſed tamen aliquando ſurſum tendit, ut vacuum excludat,* Cedit ergò principium inferius ſuperiori.

Inferius est: *grave tendit deorsum*. Superius est, *necesse est, esse contigua mundi corpora*. Sic regulare est, *depositum esse reddendum: sed si furiosus gladium reposcat*, superior lex regat deliberationem. *Neminem lædito*. 4. Quod sit non tàm mentis, quàm partis appetentis, *quæ hac in corrupta natura rationem non modò deserit, sed & sæpiùs eam secum adversam rapit*. 5. Quod sit à natura hominis corrupta, à furoribus diabolorum, à consuetudine vitiosa: *quæ omnia ipsi naturæ vim afferre possunt*.

Quæst. VI.

Unde in homine pugna ista rationis & appetitus?

Pugnam istam rationis & appetitus agnoscit Aristoteles lib. 1. Nicom. cap. 13. *ubi ait, appetitum rectæ rationi optima suadenti repugnare: adeoq; esse veluti membrum paralyticum, quod cùm horsum movetur, eorsum perperam distorquetur*. Cæterùm Timplerus per hanc rationis & appetitus pugnam intelligendam censet contrarietatem illam naturæ sensitivæ & intellectivæ, quæ in uno eodemq; homine reperitur. Quatenus enim, *inquit*, homo est Animal, habet naturam sensitivam cum bestijs communem: Et sic naturaliter fertur ad bonum corporale & sensile. Quatenus verò est Homo, habet naturam Intellectivam: Et sic naturaliter fertur ad bonum sensuale & intelligibile, præsertim accedente bonâ institutione. Quando igitur homo instinctu naturæ intellectivæ cupit persequi bonum spirituale & intelligibile, quod suadet partim lex naturalis & divina, partim sapientia & prudentia: contrà verò idem instinctu naturæ sensitivæ ad bonum corporale & sensile amplectendum rapitur, tunc oritur in uno e-

no eodemq; homine lucta quædam & pugna, & ex eâ ingens bene agendi difficultas, ita, ut ob contrarias duplicis naturæ inclinationes, utram sequi debeat, nesciat. *Hæc iste.*

Jam ulteriùs si quæras, undenam hæc appetitus & rationis pugna, & ista contrarietas naturæ sensitivæ & Intellectivæ? è modernis nostris Jesuitis isthæc audies emblemata: *I. Naturæ humanæ primitùs conditæ morbum & languorem ex naturæ conditione oriri. 2. Ex materiæ conditione in homine in puris naturalibus considerato præcipitem ad vitia inclinationem oriri. 3. Sic hominem constare ex carne & spiritu, ut hinc ex contrariis propensionibus existat in uno homine pugna, & ex hac difficultas agendi, dum una propensio, alteram impediat.* Bellarmin. de grat. primi hominis cap. 5. 6. 7.

Nos ab hâc damnata Jesuitarum sententia jure meritoque abimus diversi: statuimusque istam appetituum ἀταξίαν primævæ hominis naturæ non naturalem fuisse. *I. Quia non tantùm Scriptura testatur, Deum creâsse hominem in imagine & similitudine suâ; sed etiam de creato homine disertè pronunciat: Viditq; Deus cuncta quæ fecerat, & ecce erant bona valde. II. Si pugna ista rationis & appetitus, tùm præceps ista ad vitia inclinatio ex natura à Deo conditæ conditione oritur, utiq; hoc fiet, aut propter intentionem authoris naturæ, Dei videlicet, aut contrà.* Si dixeris præter Dei intentionem *hanc in homine existere, ipsi omnipotenti & soli sapienti Deo infirmitatem ascribes, ut, qui non inter materiam & formam, carnem & spiritum, optimum ordinem, conformitatem & rectitudinem efficere potuerit.* Si ex Dei intentione: *Quomodo, quæso, Deus excusabitur, ne sit causa peccati, auctor scilicet materiæ & præcipitis istius inclinationis ad vitia? III. Jesuitica hæc opinio fingit Adamum in puris naturalibus fuisse*

quâvis beluâ deteriorem. Nam in bruto nulla est rebellio inferiorum virium adversus superiores, nulla in vitia præceps inclinatio, qualem illi Adamo tribuunt.

Proinde pro solidiore quæstionis determinatione rei summã hisce aphorismis complectimur. *I. Homo quidem constat ex partibus longè diversissimis, corpore & animo; sed tamen à summo opifice tàm felici concordiâ colligatis, ut in statu integritatis, nulla hic lucta, nulla concertatio, nulla dissensio fuerit. II. Infernalis verò serpens in lapsu Adamitico hasce duas naturas, tàm infelici discordiâ sic dissecuti, ut exinde, perpetua rationis & appetitus pugna in solidum dependeat. III.* Bonum sensuale & intelligibile, licèt in se quidem considerata, sint disparata: tamen respectu hominis ex spiritu rationali & corpore compositi, subordinata fuerunt. *Cùm enim ita conditus fuerit homo, ut inferior potentia perfectè pareret superiori, & superiori κυβερνητικὴ rectè prospiceret inferiori, nulla hic fuit in Adamo, etiam in puris naturalibus constituto, propensionum σύῤῥαξις, sed perpetua & constans harmonia. IV.* Proinde jam post lapsum in propensionibus animi & corporis diligenter distinguendum est naturale & ordinatum à præternaturali & inordinato. *Neq; enim appetitus naturalis per se pugnâsset cum rationali spiritu, qui certè non debuit, imò non potuit reluctari ordini creationis divinæ: & proinde quòd nunc in hac corruptâ natura hic appetitus sæpè pugnet cum appetitu rationali, id ex defectu naturæ, vitio originalis fœdatæ & corruptæ profluit.*

Quæstio VII.

An eadem pugna rationis & appetitus, de quâ Philosophi: & lucta carnis, & hanc operatione sua aggredientis spiritus, de quâ Theologi?

Affirmativam quæstionis, tuetur Gualterus Donaldsonus Scotus, Professor Sedanensis in synopsi Phil. moral. l. 3. c. 12. pag. 276. *Dum ratio, inquit,* quod rectum *est intuetur,*

tuetur, illudq́; appetitur persuadere conatur, cum labore tamen & molestia conjunctum. appetitus contra inprimis sequitur, quæ sensibus grata, & â molestia sunt maximè remota: quamvis cum turpitudine sint conjuncta, oritur pugna, in qua ratio appetitui sæpè succumbit, quam luctam inter carnem & spiritum vocant sacræ literæ, quam ad Roman. 7. describit Apostolus. Hæc iste Donaldsonus. Et proximis hisce temporibus quispiam reperiri potuit, qui eodem loco habuit, quando Medea dicit; *video meliora &c.* & quando Apostolus dicit Rom. 7. *Video aliam legem rebellantem legi mentis meæ.*

Nos ab hâc sententia profitemur alienissimos nos esse, & infinitum discrimen hîc prolixè agnoscimus. *1. Theologis enim nomine rebellantis carnis non tantùm venit δύναμις ὀρεκτικὴ, quæ ad omne malum pendet: verùm etiam ratio ipsa: ita ut ratio & spiritus in spiritualibus sibi non repugnent, sed socias quasi jungant manus & conjuratione factâ obluctentur Spiritui. Siquidem & ipsum τὸ φρόνημα τῆς σαρκὸς, inimicitia est adversus Deum: & πᾶν τὸ νόημα sic obluctatur Deo, ut nisi domitũ & in obsequia Christi captivatum sapiat ea, quæ sunt Dei. 2.* Cor. 10. 2. *Modum istum, quo lucta hæc carnis & spiritus compescenda sit, sola doctrina Ecclesiæ inculcat: nempe* Rom. 8. *Si spiritu carnis opera mortificaveritis, vivetis. Econtra gentiles isti Philosophi duntaxat luctam rationis & appetitus suis quidem Ethicis præceptis refrenare voluerunt: verùm, quia nesciverunt avitam istam & innatam malitiam & vitia nobis naturâ inesse, ideoq́; actum secundum vitiorum tantisper inhibere; sed vitiosos motus cordis nequaquam reprimere potuerunt.*

Quæstio IIX.

An eadem pax conscientiæ, de quâ Theologia docet: & conscientia honestè factorum, de quâ Philosophia Practica?

Tantum

Tantum sanè hic agnoscimus discriminis, quantum est inter spirituale & morale: inter ipsam sacrosanctam Theologiam & Philosophiam Practicam. Pax conscientiæ de qua Theologi, *pacem istam cum Deo denotat, cum & Deus nobis ex summo judice & hoste sit benignus ac placabilis pater*, Rom. 5. & Colos. 1. *& nos vicissim tranquillo amicoq; erga eum animo sumus, non timentes ac odio habentes eum, ut crudelem nostram carnificem, sed spiritu Abba Pater clamantes: ac deniq; non amplius sentientes conscientiam accusantem & contrepidans, non etiam pristinam potentiam ac Tyrannidem Satanæ ac Adami in nobis præpotentis. Quæ pax nobis post justificationem contingit*, dicente Paulo: *justificati fide pacem habemus.* Sic accipitur in Hymno angelorum: *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus.* Et sic etiam intelligendum illud Pauli. *Sensus carnis mors est, sensus autem Spiritus vita & pax.* Conscientia rectè factorum, de qua Philosophi, *est voluptas practica, quà homo suaviter acquiescit in virtutum exercitio: & hæc voluptas in sese complectitur 1. Conscientiam rectè & honestè factorum, ubi quis novit & certus est, sese honestè ac rectè vixisse ac fecisse. 2. Pacem ac tranquillitatem affectuum & voluntatis, cùm nempe quis nullas pœnas in hac vita metuit; sed præmia potiùs honestè factorum sperat. 3. Comprehendit amorem virtutis & felicitatis: deniq; 4. lætitiam & gaudium, de quo quis sibi gratulatur directè factis inq; iis suaviter acquiescit. Et hîc subsistimus.*

Is qui χειρόγραφον, quod contra nos erat, cruci suæ affixum proprio sanguine delevit, adjuvare nos dignetur suâ gratiâ, ut in Ecclesia militantis castris constituti, militemus bonam militiam, retinentes fidem & bonam conscientiam.

F I N I S.

